

OVIDIUS, METAMORPHOSEON LIBRI QUINDECIM  
1,1-4; 1, 89-150 AETATES

In nova fert animus mutatas dicere formas  
corpora; di, coeptis - nam vos mutastis et illas -  
adspirate meis primaq(e) ab origine mundi  
ad mea perpetuum deducite tempora carmen!

Aurea prima sata (e)st aetas, quae vindice nullo  
sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.  
Poena metusque aberant, nec verba minantia fixo  
aere legebantur, nec supplex turba timebat  
iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.  
Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,  
montibus in liquidas pinus descenderat undas,  
nullaque mortales praeter sua litora norant.  
Nondum praecipites cingebant oppida fossae;  
non tuba directi, non aeris cornua flexi,  
non galeae, non ensis erant; sine militis usu  
mollia securae peragebant otia gentes.  
Ipsa quoqu(e) immunis rastroqu(e) intacta nec ullis  
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus;  
contentique cibis nullo cogente creatis  
arbuteos fetus montanaque fraga legebant  
cornaqu(e) et in duris haerentia mora rubetis  
et, quae deciderant patula lovis arbore, glandes.  
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris  
mulcebant zephyri natos sine semine flores.  
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,  
nec renovatus ager gravidis canebat aristis;  
flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,  
flavaque de viridi stillabant ilice mella.  
Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso  
sub love mundus erat, subiit argentea proles,  
auro deterior, fulvo pretiosior aere.  
Iuppiter antiqui contraxit tempora veris,

perque hiemes aestusque et inaequalis autumnos  
et breve ver spatiis exegit quattuor annum.  
Tum primum siccis aer fervoribus ustus  
canduit, et ventis glacies astricta pependit:  
tum primum subiere domos (domus antra fuerunt  
et densi frutices et vincetae cortice virgae);  
semina tum primum longis Cerealia sulcis  
obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenci.  
Tertia post illam successit aenea proles,  
saevior ingenis et ad horrada promptior arma,  
non scelerata tamen. De duro est ultima ferro.  
Protinus irrupit venae peioris in aevum  
omne nefas, fugere pudor verumque fidesque;  
in quorum subiere locum fraudesque dolique  
insidiaque et vis et amor sceleratus habendi.  
Vela dabat ventis (nec adhuc bene noverat illos)  
navita; quaeque diu steterant in montibus altis,  
fluctibus ignotis insultavere carinae,  
communemque prius (ceu lumina solis et auras)  
cautus humum longo signavit limite mensur.  
Nec tantum segetes alimenta debita dives  
poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae;  
quasque recondiderat Stygiisque admovebat umbris,  
effodiuntur opes, irritamenta malorum.  
Iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum  
prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,  
sanguineaque manu crepitantia concucit arma.  
Vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,  
non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.  
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti;  
lurida terribiles miscent aconita novercae;  
filius ante diem patrios inquirit in annos.  
Victa iacet pietas; et Virgo caede madentes,  
ultima caelestum, terras Astraea reliquit.